



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Super Epistolam Beati Jacobi Apostoli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75090)

presentem non estimant esse, quem non vident. A
Quod contra in laude Moysis dicitur, dum Aegypti regem contemneret, & Dei mandatis obediret: quia invisibilem tanquam videns sustinuit. Perversum quippe terrae principem quasi non vidit, quem ab oculis sui cordis abiecit. Regem verò invisibilem, tanquam videns sustinuit, qui ab ejus timoris intuitu mentis oculum non deflexit.

CAPUT XI.

Hebr. 11. a *Est autem fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.*

Definitio fidei. **C**UM hoc Paulus Apostolus dicit, profectò loquitur: quia fides illarum rerum argumentum est, quae apparere non possunt. Quae etenim apparent, jam non habent fidem, sed agnitionem. Nam quod obtutibus humanis visibiliter presentatur, & potest videri, melius dicitur sciri quam credi.

CAPUT XII.

Hebr. 13. d *Perpaucis scripsi vobis.*

De discreta pastorū praedicatione & humilitate subditorū. **C**URANDUM est pastoribus quantum loquantur, ne si eis, qui multa ferre non valent, verbum vel exhortationis, vel increpationis longius trahant, auditores suos ad fastidium perducant. Unde Praedicator egregius loquitur, dicens: *Obsecro vos, fratres, ut sufferatis verbum solatij: etenim perpaucis scripsi vobis.* Hoc tamen infirmis praecipue congruit, & dicta pauca quidem, & quae capere praevalet, audiant, sed quae mentem eorum in penitentiae dolore conpungant. Nam si eis uno tempore, exhortationis sermo fuerit multipliciter dictus: quia retinere non valent multa, simul amittunt omnia. Si quando tamen sermo prolixior transeat modum suum, hoc auditoribus non est periculosum. Notandum est autem quòd Paulus, dum mirè Hebraeos admoneret, de magnis, quae dixerat, humiliter sentit, & dicta sua verba solatij vocavit. Auditoribus quidem suis humiliter multa dixerat, sed de ipsa exhortatione humili, placare eos adhuc humiliter satagebat. Ephesius quoque Mileti valedicens, afflictis ac gementibus humilitatem suam ad memoriam revocat, dicens: *Vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessavi cum lachrymis monens unumquemque vestrum.* Hinc ergo colligat, si quando aliquid rectè sentit, quanta humilitate debeat magistro loqui discipulus: si ipse Magister Gentium in his, quae cum auctoritate praedicat, tam submissè discipulos rogat. Hinc unusquisque colligat eis, à quibus bene viventi exempla percipit, hoc quod bene intelligit, quam humiliter dicat, si Paulus illis humili se voce subdidit, quos ad vitam ipse suscitavit. Cùm itaque quaedam facta meliorum deterioribus displicent, nequaquam hoc, quod mentem movet, est reticendum, sed cum humilitate magna proferendum: quatenus intentio piè sentientis, eò verè fervet formam rectitudinis, quò pariter graditur humilitatis. Et liberè ergo dicenda sunt, quae sentimus, & valde humiliter promenda, quae dicimus, ne quae rectè intendimus, hæc elatè proferendo non rectè faciamus.

Finis Expositionis super Epistolam ad Hebraeos.

INCIPIUNT CAPITVLA DE EPISTOLA B. JACOBI Apostoli.

- 1 *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis.*
- 2 *Quicumque totam legem servaverit, &c.*
- 3 *Si autem frater, aut soror nudi sunt.*
- 4 *Fides sine operibus mortua est.*
- 5 *Quae de sursum est, sapientia primum pudica est.*
- 6 *Petitis & non accipitis, eò quòd male petatis.*
- 7 *Vita vestra vapor est, ad modicum parens.*
- 8 *Quicumque voluerit amicus esse hujus saeculi, &c.*
- 9 *Qui converti fecerit peccatorem, &c.*



INCIPIT EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM BEATI Jacobi Apostoli.

CAPUT I.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum: apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

MNES sancti per naturam in semet ipsis habent mutabilitatem propriam, sed dum immutabilitati studiosè semper inhærere desiderant, inhærendo agunt, ut immutabiles fiant. Cumque ad hanc affectu toto se tenent, quandoque accipiunt, ut super semetipsos ducti vincant hoc quòd in semetipsis mutabiles extiterunt. Qui enim mutabilitas nisi mors quaedam est? Quae dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit, quòd fuerat; ut incipiat esse, quòd non erat. Et de Auctore omnium scriptum est: *Qui solus habet immutabilitatem: quia videlicet in semetipso solus est immutabilis, de quo per Jacobum dicitur: Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum: apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ipsa enim mutabilitas umbra est, quae quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit.

CAPUT II.

Quicumque totam legem servaverit, offendant autem in uno, factus est omnium reus.

Vestimento, cùm vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo ex omni justitia sicut vestimento se bene vestit, qui se undique bono opere protegit, & nullam partem actionis suae peccato nudam relinquit. Nam qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit: nec jam bona sunt opera, quae subortis aliis pravis operibus inquinantur. Hinc enim per

S. GREGORII IN TOMAS

Salomonem dicitur: *Qui in uno offenderit, multa bona perdet.* Hinc Iacobus dicit: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Quam videlicet sententiam suam ipse diligenter exposuit, cum subiunxit: *Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit: Non occides. Quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis.* Cordis igitur oculis circumquaque porrectis undique nobis exhibenda custodia est, ne mercedem, quam per has actiones colligimus, per alias amittamus: quia bona prodesse nequeunt, si non veniantur mala quæ subripiunt.

Eccles. 9.
Exod. 10.
& Deut. 5.

CAPUT III.

Si autem frater, & soror nudi sunt.

Iac. 2. c.

Dilectio nostra exhibenda est plus opere, quam sermone. In expos. B. Iob. l. 21. c. 14 sub init.

Sunt nonnulli, qui cum ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, non eos, cum possunt, student rebus fulcire, sed blandis tantum sermonibus fovete, quos vehementer Iacobi prædicatio sancta reprehendit, dicens: *Si autem frater, aut soror nudi sunt, & indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, & calefiamini, & saturemini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit vobis?* Quos Joannes quoque Apostolus admonet, dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere & veritate.* Dilectio itaque nostra semper exhibenda est, & veneratione sermonis, & ministerio largitatis. Sunt verò nonnulli, qui pietatis suæ viscera tendere usque ad incognitos nesciunt, sed solis, quos per assiduitatem notitiæ didicerint, miserentur: apud quos nimirum plus familiaritas quam natura valet, dum quibusdam necessaria non quia homines, sed quia noti sunt, largiuntur: sed apud piam mentem plus natura valet quam notitia. Nam & uniusquisque qui indiget, eo ipso quo homo est, etiam incognitus non est.

1. Ioan. 5.

Ibidem prope suam multis in-teriectis.

CAPUT IV.

Fides sine operibus mortua est.

Iac. 2. d.

De veris, & falsis fidelibus. Hom. 16. in Evang. lon. ge post med. Tit. 1. 1. Ioan. 2. Iob 40.

Ille verò credit, qui exercet operando quod credit. Quò contra de his, qui fidem nomine tenus retinent, Paulus dicit: *Constituentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc per Joannem dicitur: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Hinc Iacobus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Hinc ad beatum Job de antiquo hoste generis humani Dominus dicit: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciam quod insuat Iordanis in os eius.* Quis est enim per fluvium designatus, nisi humani generis fluxus? Quod videlicet genus ab ortu ad finem destluit, & quasi aqua more usque ad competentem terminum ex carnis liquore percurrit. Quid per Jordanem nisi baptizatorum forma signatur? Quia enim in Jordanis flumine ipse Auctor redemptionis nostræ baptizari dignatus est, rectè Jordanis nomine, eorum multitudo exprimitur, qui intra sacramentum baptismatis tenentur. Antiquus igitur hostis humani fluvium absorbit, quoniam ab origine mundi usque ad Redemptoris adventum vix paucis electis evadentibus in ventrem suæ malitiæ genus humanum traxit. De quo rectè dicitur: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur:* quia pro magno non habet, cum infideles rapit. Sed grave est valde quod subditur: *Et habet fiduciam quod insuat Iordanis in os eius:* quia postquam infideles quoque à mundi origine rapuit, adhuc se posse decipere & fideles præsumit. Nam ore pestiferæ persuasionis eos quotidie devorat, in quibus à confessione fidei reprobata vita discordat. Quæ ergo ea, quæ recta sunt recondita per fidem intelligi. S. Greg. Tom. III.

Ibidem.

Agit, sed tamen opera fidei tenere contemnit, incredulitatis redarguitur: quoniam ab eo, quod se ostendit credere, vivendo reprobat.

CAPUT V.

Quæ desursum est sapientia, primum pudica est.

De sapientia. Cur. p. 23. par. 3. c. 23. procul à princ.

Spe dum quosdam scientia major erigit, à ceterorum societate disjungit, & quasi quò plus sapiunt, eò à concordia virtute desipiscunt. Quibus rectè per Iacobum dicitur: *Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse adversum veritatem.* Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primum pudica est, deinde pacifica. Pudica videlicet, quia castè intelligit: pacifica verò, quia per elationem se minime à proximorum societate disjungit.

CAPUT VI.

Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.

De veris pauperibus. In expos. B. Iob. l. 21. c. 11. sub init. Matt. 5.

In scriptura sacra dici pauperes humiles solent: quia illi sunt veraciter pauperes, qui non sunt inflati superbiæ spiritu, quos apertè Veritas exprimit, cum dicit: *Pauperes spiritu.* Et proculdubio oportet, ut eis incunctanter detur, quicquid ab eis cum humilitate requiritur, id est, quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur. Nam valde superbiere, est extra metas inopie aliquid desiderare. Unde & superbè petentibus Iacobi voce dicitur: *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petitis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

CAPUT VII.

Vita nostra, vapor est ad modicum parens.

De brevitate hujus vite. Iob. l. 7. c. 14. post med. Psal. 36. Psal. 102. Psal. 40.

Sancti viti, quia breviter hujus vite indescenderent aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt: & tantò se solidius mansuris præparant, quantum & nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista, veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait: *Passillum adhuc, & non erit peccator.* Hinc iterum dicit: *Homo sicut fenum, dies ejus.* Hinc Isaias ait: *Omnis caro fenum, & gloria ejus sicut flos feni.* Hinc mentes præsumentium Iacobus corripit, dicens: *Quæ est vita nostra? Vapor est ad modicum parens.* Immensum quippe est, quod sine termino sequitur, & parum est quicquid finitur. Longum nobis videri non debet, quod cursu ad occasum sui temporis tendit: ut non sit, quod dum per momenta ducitur, ipsa hoc momenta sua, quæ differunt, impellunt: & unde tenebris cernitur, inde arguitur ne teneatur.

CAPUT VIII.

Quicumque voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur.

De cetero mundi admontio.

Qui Deum diligunt, ex mundi percussione, & ex ejus sine gaudere debent, atque hilarescere: quia videlicet eum, quem amant, mox inveniunt, dum transit is, quem non amaverunt. Absit enim, ut fidelis quisque, qui Deum videre desiderat, Y y y ij

de mundi percussioibus luceat, quem finiri eisdem suis percussioibus non ignorat. Qui ergo, appropinquante mundi fine, non gaudet, amicum se illius esse testatur, & per hoc inimicus Dei esse convincitur. Optandum est autem amicis Dei citius de hoc mundo pergere, & ad gaudia cælestis patriæ, quam diligunt, breviora via pervenire. Quibus enim malis non mundus urgetur? Quæ nos tristitia, quæ adversitas non angustat? Quid est vita mortalitatis, nisi via? Et quale sit, fratres mei, perpendite, in labore viæ lassescere, & tandem eandem viam nolle finiri? Calcari, fratres, mundus debet ac despici, qui in annis prioribus velut in juventute viguit, ad propagandam humani generis prolem robustus fuit, salute corporum viridis, opulentia rerum pinguis. At nunc ipsa sua senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem molestiis crescentibus urgetur. Nolite ergo, fratres mei, diligere, quem videtis diu stare non posse: præcepta Apostolica in animo ponite, quibus nos admonet, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt: quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Relinquat igitur omnia qui potest, qui autem relinquere omnia non potest, lavet lacrymis maculas peccatorum, eleemosynis tergat, sacris hostiis expiet. Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis, & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quoniam is, qui in se surgens à mortuis, jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties hostiam ei suæ passionis offerimus, toties nobis absolutionem nostram passionis illius reparamus. Nolite ergo, fratres mei, possidere per desiderium, quæ adhuc minimè reliquistis per usum. Spem in solo Redemptore figite, ad æternam patriam mente transite. Si enim in hoc mundo nihil amando possidetis, etiam possidendo cuncta reliquistis.

CAPUT IX.

Qui converti fecerit peccatorem ab errore via sue, salvabit animam ejus à morte, & operis multitudinem peccatorum.

De admo- **B**enatus Job dicit: *Benedictio perituri super me venientis.* Benedictio quippe perituri super eum venit, qui peccatorum interitum preveniens, eum sanctis exhortationibus à culpa fovea reducit. Si enim magnæ mercedis est eripere carnem à morte quandoque morituram, multò majoris est meriti liberare animam à morte in cælesti patria sine fine victuram.

Finis Exposit. super Epist. B. Iacobi Apost.

**INCIPIUNT CAPITVLA
DE PRIMA EPISTOLA BEATI
Petri Apostoli.**

- 1 *In hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam.*
 - 2 *In quem desiderant Angeli prospicere.*
 - 3 *Propter quod succincti lumbos mentis vestrae.*
 - 4 *Nemo vestrum patiatur quasi homicida.*
 - 5 *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum.*
 - 6 *Si quis loquitur quasi sermones Dei.*
 - 7 *Tempus est, ut incipiat iudicium à domo Dei.*
- ¶ Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.**

**INCIPIT EXPOSITIO
SUPER PRIMAM EPISTOLAM**

Beati Petri Apostoli.

CAPUT I.

Regeneravit nos in spem vivam, &c. in hereditatem incorruptibilem.



ARENT corda hominum, quæ in huius sæculi spe peritura plantata, fiduciam æternitatis non habent: vident autem quæ illi hereditati inhererent, de qua Petrus Apostolus dicit: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cælis.* Tantò enim verius quique videntes sunt, quando in hereditatis immarcescibilis forte cogitationis radicem figunt. Quisquis itaque intrinsecus arere formidat, arentia extrinsecus huius mundi desideria fugiat: & æternam patriam appetens, in interna cordis plantatione virescat.

CAPUT II.

In quem desiderant Angeli prospicere.

Quoniam de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Sunt nonnulli, qui nequaquam Deum videre vel Angelos suspicantur, & tamen dictum per Veritatis sententiam scimus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Nunquid ergo aliud Veritas, aliud Prædicator insinuat Veritatis? Sed si sententia utraque confertur; quia sibi nequaquam discordet, agnoscat. Deum quippe Angeli & vident, & videre desiderant, & intuenti stant, & intuentur: si enim sic videre desiderant, ut effectu sui desiderij minimè perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longè sunt: quia nunquam simul pœna, & beatitudo conveniunt. Rursus, cum eos dicimus Dei visione satiari, quoniam & Psalmista ait: *Satisabor dum manifestabitur gloria tua: considerandum nobis est, quia satietatem solet fastidium subsequi.* Utergo rectè sibi utraque conveniant, dicat Veritas: *Quia semper vident: dicat prædicator egregius: Quia semper videre desiderant.* Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur: & satiantur sine fastidio, quoniam ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.

CAPUT III.

Propter quod succincti lumbos mentis vestrae, &c.

Malum luxuriæ aut cogitatione perpetrata, aut de luxuria opere. Per Moysen verò luxuria perpetrata, refragant per Auctorem verò munditiæ, luxuria damnatur. Hinc est enim quòd discipulus primus Ecclesiæ Pastor dicit: *Propter quod succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfectè sperate in eam, quæ*

S.
GREGORII
TOMAS

1. Ioh. 2. 2.

Iac. 1. 4.

De admo-
nendis
peccatori-
bus.
In exposit. B.
Iob. l. 19. c.
11. circa
med.
Iob 29.

1. Pet. 1. 4.

1. Pet. 1. 4.

Deum An-
gelt fem-
per vident,
& videre
desiderant.
In exp. B.
Iob. l. 19. c.
11. circa
med.
Matt. 24.

Psalm. 16.

1. Pet. 1. 4.

In exp. B.
Iob. l. 21. c. 2.